Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1383
Quelle:
Copyright:

vorwerfen das von Gott geordnete Vorurtheil einer rechtmäſsigen Autorität der von ihm zum Taufen und Kundmachen ſeiner übernatürlichen Offenbarungen eingeſetzten Kirche. Praejudicium igitur, quod contra Eccleſiae Rom. Catholicae legitimam autoritatem alunt Proteſtantes, per *Capita*, §§. et *Quaeſtiones* eo rerum nexu, ea judicii vi, animi moderatione, et ratiocinandi ſoliditate expenditur, ac refellitur, ut hic Tractatus praecedenti nulla in parte concedat. Res eſt *Heraeo* praecipue cum Libro *Aug. Pfeifferi* vernaculo, qui inſcriptus *Lutheraniſmus ante Lutherum* prodierat a. 1679. 4. cujus Tituli adſertum quodam ſenſu nemo Catholicorum negaverit, quidam etiam argumentis ex Hiſtoria eccleſiaſtica probavere. Scriptor maxime recens, ad quem Noſter adpellat, eſt *Job. Dez* e Soc. J. lucubrationibus polemicis notus, qui *Argentinae* a. 1712. vitae finem habuit. Dolendum ſane eſt, et iſtud *Heraei* Scriptum, uti praecedens, e ſcriniis non emerſiſſe, et illius extrema intercidiſſe; ut enim multi pari ſalutis ſtudio ad Eccleſiam omnium chriſtianarum matrem regreſſi ſint, pauci ad iſtud ſummi momenti negotium acrius examen et maturius conſilium adtulerint.

DCXV.

R. 588 Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 58. 4. eleganter deſcriptus ſolida eſt quaedam, plana et erudita Veritatis Chriſtianae Demonſtratio Autoris hebraice, graeceque docti, et in Antiquitate ſacra et profana eleganter verſati, de quo nihil mihi compertum, niſi poſt *Dan. Huetium*, quem c. 6. adpellat, ſcripſiſſe. Nullus Scripto Titulus. In *Capita* XXVI. abit, quorum haec Lemmata. C. 1. *Eſt Deus. Mala noſtra et bona moderatur. Objectiones.* 2. *Obſervantiam Dei junctam eſſe exiſtentiae. Religionem dari.* 3. *Vera Religio ingenio non deprehenditur. Nec voluntas Dei.* 4. *Ingenii vitioſitas non eſt a Deo. Deus creavit hominem cum vera Religione.* 5. *Vitioſitas ingenii veritatem obnubilat Religionis.* 6. *Moſes in Religionis tractatione aliis praeferendus.* 7. *Refertur ex Moſe creatio hominis ad imaginem Dei, et explicatur, quid ſit Imago.* 8. *Hominis corruptio. Quomodo corrumpi potuerit bona mente praeditus.* 9. *Integrum ſanctumque Adami ſtatum non naturae, ſed Dei gratiae adſcribendum eſſe.* 10. *Peccatum congenitum. Difficultates motae.* 11. *Per nos ipſos reſtitui non poſſumus. Quamvis etiam abſolutam praeſtaremus obedientiam.* 12. *Promiſſio reparationis.* 13. *Explicatur enucleatius promiſſio de ſemine Mulieris.* 14. *Tempus Meſſiae ad ſtatum poſtbabylonicum Reipublicae Judaicae reſtrictum.* 15. *Scriptorum Chriſtianorum fides.* 16. *Jeſu Nazareni praecipuae actiones, ex quibus patet eum eſſe Meſſiam. Foedus renovatum.* 17. *Mors Jeſu, qualiter conſideranda.* 18. *Viae, per quas beneficiorum Meſſiae certio-*

res